





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
**MORBIS IMAGINARIIS
HYPOCHONDRIACORVM**

Quam
AVSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratosae Facultatis Medicae,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAI. REG. BORVSS. AVLICO ET CONSIST. MAGDEBVRG.
CONSILIARIO SENIORE, ACADEM. ET FACVLT. MEDIC. SENIORE,
VT ET PHILOS. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
ALVMNORVM REG. EPHORO SENIORE, ETC.
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni pietatis cultu prosequendo,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

ANNO MDCCCLV. D. IVNII
HORIS LOCOQVE CONSVETIS

PVBlicAE AC PLACIDAE ERVDITORVM VENTILATIONI SVBICIET

A U C T O R
CHRISTIANVS GOTTLOB GROSS,
BAVMERSCHRODA-TVRINGVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



DISSELTATIO INAVGVALIS MEDICA
DE
MORBIS INAGINARIIS
HYPOTHONDRIACORVM

AVSIVIE DEO PROPTER
D. GOSFRIJ ANNE BACHSTADT-GRING: PAVLHANS HILDEBRAND
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

DN. D. MICHAELIS ALBERTI
SAGR. MAJ. RUC. BORSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEBURG.
CONSILIANO SENIORS AG. RUC. ET FACULT. MEDIC. SENIORIS
ET ET TIBIUS NATIV. PROFESS. TIBI. GRIMMARIO
AVSIVORVM RUC. SENIORIS ET
BRONNO N. V. SECTATISSIMO
Domiio Patrono, ac Promotore, cuius patris cultu propitius,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSORE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
HONORARIIS PVBLCIS IMPESTRANDIS
ANNO MDCCLV. M. JULIAN.
HONIS SEPTORIS CONSISTIT

PVBLCIS AC FACIAS ERVANTIVM AVSIVORVM SENIORIS
AVSIVORVM SENIORIS
CHRISTIANVS GOTTLOB GROSS
MAGISTRVS PVBLCVS

HABER MAGDEBURGICIS
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII ACAD. TYPOG.



VIRO
PRAENOBILISSIMO, CONSVLTISSIMO,
DOCTISSIMO DOMINO
DOMINO
WILHELMO AVGVSTO
CAROLO SLEVOGT

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS POLONIAE
ET ELECTORIS SAXONIAE A CONSILII COMMIS-
SIONVM, ET PRAETORII FREYBVRGENSI
MERITISSIMO,

PATRONO AC FAVTORI SVO
MAXIME COLENDO

HANCCE
INAVGVRALEM DISSERTATIONEM

VT SIGNVM OBSERVANTIAE SVAE
ET GRATISSIMI ANIMI
CVM VOTO OMNIGENAE PROSPERITATIS

D. D. D.

A V C T O R.



PROOEMIUM.



Ea est mortalium calamitas, ut non solum variis morbis & aegritudinibus vexentur, e corporis constitutione oriundis, sed & fictis nonnumquam & imaginariis consistuntur morbis, non nisi in cerebro & turbata phantasia existentibus. Non modo autem molestas esse has phantasiae illusiones, sed damnum quoque non leve sanitati inferre, imo varios morbos producere posse ac ipsam adeo mortem accelerare, res est omnibus sane salutarem Artem exercentibus notissima. Animae quippe in corpus non leve esse imperium quotidie experimur. Mentis tranquillitas aegrum quoque corpus iuvat ac roborat, agitatio

A 3

vero

vero variis curis & sollicitudinibus animo, sanum etiam alias corpus languet & marcescit. Nota mihi sunt duo exempla satis memorabilia, de phantasiae in sanitatem potestate, quae clarissime confirmant atque demonstrant veritatem huius asserti. Hebraeo mercatori accidit aliquando ut ad christianum quendam Oprices peritum accederet. Qui ioci causa rogat Iudaeum an male se haberet? cui optime se valere respondit. Quid inquit, pessime habes, viden' quomodo tibi caput tumeat? simulque ipsi speculum offert, concavum. Notum est grandiores haec specula referre imagines. Territus hac sua effigie Iudaeus continuo aegrum se esse credit, domum petit, lectulo affigitur, ac revera aegrotare incipit; ac tum misere tandem se habet, ut ad plures abiisset, nisi misericordia motus, qui fraudem intentaverat totam rem Iudaeo detexisset. Alterum exemplum est parochi cuiusdam, simplicis quidem, sed admodum religiosi. Quem cum in hortulo suo aliquando deambulantem videret, comes quidam, e fenestra arcis suae, tubo stentoreo clamitat: cura domum tuam, cras enim morieris. Quam de coelo delapsam vocem existimans bonus vir, continuo genua flectit, & fiat voluntas tua domine clamitat. Domum petit, aegrotat, & altera die tam misere decubuit, ut de vita eius desperarent. Quo audito ipse comes adit hominem, & aegre tandem persuasit a se profectam esse fraudem. Nemo autem fere magis imaginariis eiusmodi morbis conflictari solet, quam *hypochondriacus*.
 Quoti-

Quotidie hoc experiuntur qui praxin exercent Medicam, dum ab hypochondriacis sanitatis causa consuluntur, qui opprimunt eos fere nugis suis, & morborum historiis, quibus detineri se ridicule putant. Sat lepidum huius rei legimus exemplum Lipsiensis olim Theologi ADAM. BERNDTII, qui de se ipso narrat, se cum studiorum causa Lipsiae commoraretur Halam abiisse ut *Illustrum* b. m. SHAHLIVM consuleret, persuasum enim sibi fuisse, se hestica febre laborare, quod cum negaret Stahlus, id maxime se miratum esse narrat, cum quatuordecim signa Hectices in dissertatione quadam medica descripta in se ipso se animadvertisse putaret. Cum itaque non parum damni ex imaginario tali morbo oriri in iis possit, quorum corpus debile est, & genus nervosum sensibile, haec vero damna praecaveri queant, si phantasiae vitium corrigatur: operae praetium me facturum existimavi, si imaginarios hos hypochondriacorum morbos enarravero, & demonstravero veram originem, & veluti fontem, e quo phantasiae haec ludibria oriuntur. Faxit summum numen ut conamina haec qualiacunque mea cedant feliciter.

§. I.



§. I.



psa instituti nostri ratio postulat, ut in duas partes dividamus descriptionem nostram. *Primo* nempe enarrandi sunt morbi ipsi, quos hypochondriaci in se ipsis animadvertere existimant: *Deinde* ex essentia hypochondriaci mali demonstrandae sunt rationes, quibus miseri hi homines inducuntur ut his morbis se laborare credant. In enarrandis morbis ipsis, primo *capitis* morbos tractabimus, deinde *thoracis*, ac tandem *abdominis*.

§. II.

Quod *caput* attinet ordinarie 1) *Apoplexiae* metu vexari hypochondriacos animadvertimus. Fit enim nonnumquam ut oculi eorum caligent, aures tinniant, tum vero caput grave est ac debile, vertiginosi quoque varii adsunt motus, ita ut quae intuentur obiecta modo in gyrum agi, modo tremere ac salire videantur. Tum anxietas adest praecordiorum, extrema modo frigent, modo subito calore perfunduntur. Languor subitaneus totum torpus invadit, ita ut erecti stare nequeant. Sudor frigidus erumpit ita ut conqui solent: *Es breche ihnen der Angstschweiß allenthalben aus*, & in animo simul adest maxima tristitia, ac moeror insolitus. Accidere nonnumquam solet, ut haec sentientes symptomata, quae ex medico quodam libro Apoplexiam comitari didicerunt, actum iam esse de vita sua existiment, Medici auxilium celerrime implorent, adstantes amicos ac familiares identidem admoneant, iam finem adesse miserae vitae.

vitae. Elapsa autem una alterave horula veluti ex orco
 reduces reviviscunt, lectulum relinquunt, & ad se ipsos
 redeunt. Imo vidi hypochondriacos, qui malo suo fato
 vel in publicis novellis, vel ex amicorum colloquiis co-
 gnoscunt, hunc vel illum Apoplexia tactum subito periis-
 se. Tum vero repente motus eos invadit se similia pas-
 suros. Vix autem hac de re cogitarunt, cum ecce tibi
 omnia in se animadvertunt apoplecticorum sympromata.
 Confirmantur sic in vana sua de subitanea morte senten-
 tia. Non parum quoque in ea confirmantur per dolo-
 rem quem in occipite experiri solent, & quem inter cer-
 tiora signa instantis Apoplexiae referunt Medicorum
 nonnulli.

§. III.

2) Neque minus *Maniam* metuunt. Praecipue
 cum animadvertunt insignem capitis ac memoriae debi-
 litatem, ita ut saepe quid ante aliquot momenta egerint
 ignorent. Novi hypochondriacum, qui cum amicum
 visendi causa domum quandam ingressus esset, sibi alias
 notissimam, dubius tamen per aliquot momenta haesit,
 quatenam ea esset domus quam ingressus erat, imo igno-
 rabat quisnam esset amicus, cuius invisendi causa ac-
 cesserat. Neque desunt hypochondriacorum exempla,
 qui dum evigilarunt, in proprio cubili, ignorarunt ta-
 men ubinam essent, & per aliquot minuta dubii haese-
 runt quomodo in illud conclave pervenerint, in quo ta-
 men per plures saepius annos iam fuerant commorati.
 Sentiant praeterea nescio quem furorem hoc vel illud
 peragendi, quod sibi ipsis tamen absoum videtur at-
 que ridiculum. Sic qui sanguinei sunt iis praeter vo-

B

lunta.

luntatem in mentem venit ut cantent, saliant ac similia absque ulla data occasione patrent. Melancholicis, ut alios vel se ipsos gladio petant, ut se praecipites e fenestra dent, ut in aquam se praecipitent, ut aliis colaphos infligant, aliaque plura committant sibi aliisque noxia. Si porro exempla legant vel audiant maniacorum, qui laqueo sibi gulam fregerunt, vel alio modo erga se ipsos saevierunt, tum vero idem sibi existimant futurum, & miseri se ipsos timent ac fugiunt. Tam longe progressos in hac sua stultitia vidi nonnullos, ut non audent gladium vel cultrum tangere, & noctu pedes sibi devincirent, ne scilicet contra voluntatem vel inscii surgerent, sibi que ac aliis nocerent. Haec & his similia, imo saepe peiora in se ipsis animadvertentes se vel maniacos iam esse vel tamen fore nugantur.

§. IV.

In *thorace* mirum quot sibi morbos fingant. 1) Ut plurimum *phtisi* se laborare credunt ac hectica febre e pulmonum vitio. Animadvertunt nempe adperitus saepe prostrationem, aestus post cibum assumptum incrementum, motus febriles, & sudores nonnumquam copiosos. Praeter spirandi difficultatem, dolorem saepius pressorium in pectore, imo lancinantes saepe dolores in hac vel illa pectoris parte. Tussis quoque eos invadere solet sicca vel cum piritae tenacis eiectione. Nihil vero magis eos in vana hac sua persuasionem confirmat, quam sub screatu fortiori facta reiectio materiae cuiusdam flavae, tenacis, instar minimorum granulorum, matutino potissimum tempore. Accedit corporis torpor, debilitas ac emaciatio. Qua in re ita attentos suis

se

se novi nonnullos, ut pedes manus brachia femora, ac abdomen quotidie circumducto filo metirentur, ut explorarent, quantum decesserit corpori, indeque si vel minimum senserint decrementum statim existimarent, actum iam de se esse, febrem enim hecticam maxima iam cepisse in corpore incrementa.

§. V.

2) Alterum malum quo se laborare putant e pulmonum vitio est *haemoptysis*. Accidit enim non raro, ut sub fortiori potissimum screatu sputum sanguine tinctum exspuant. Nonnumquam titillatorium sensum in aspera arteria experiuntur, quod metum ipsis incutere solet, ne sanguinis inde sequatur profluvium. Novi plures, quibus haec animo sententia haeserat, se haemoptysi morituros vehementiori, qui proinde saepe noctu evigilantes, & titillatorium talem experti sensum, certissime persuasi erant iam sanguinem e pulmonibus erumpere, seque suffocatum iri. Hinc auxilium implorantes, accurrentibus domesticis, nihil deprehenderunt, quam sputum naturali colore imbutum. Auget atque confirmat hanc eorum de haemoptysi sententiam, dolor, quem saepe in pectore sentiunt, pressorius, cum aliquali renisu ac veluti obstaculo inspirationis.

§. VI.

3) Tertium quod metuere solent est *catarrhus suffocativus*, quo subito se interituros esse certissime sibi persuadent. Persuadet hoc eis impedita respiratio (§. V.), & sensus ille pressorius cum renisu, cuius modo mentionem fecimus. Deinde materia quam saepe reiiiciunt

viscida & tenax efficit, ut existiment magnam huius materiae quantitatem adesse in pulmonibus, quam metuunt, ne in asperam arteriam se insinuet, & subitanam efficiat suffocationem: *Es möchte ihnen auf die Luftröhre fallen.* Intolerabiles hac in re saepius sunt Medicis, quibus sordidum suum sputum monstrant, & querelas addunt metum demonstrantes maximum. Quod si ipsis demonstrares ita comparatum esse cum corpore suo, quam sibi fingunt, nihil efficis, tum enim vel ignorantiam accusant Medici vel levitatem: *Er nehme alles auf die leichte Schulter.* Tum vero facillime mutant Medicum, & si quem invenerint, qui vel ex ignorantia vel sordidi lucelli causa eos in coepta sententia confirmet, tunc exclament probum doctumque se invenisse Medicum, qui tamen crumenam eorum magis saepe purgat quam corpus.

§. VII.

4) Nihil autem facilius sibi persuadent, quam se laborare cordis *polypo*, eaque opinio eo altius in eorum animis infixata haeret, quo difficilius hic si revera adsit cognosci ac diiudicari potest. Adducit autem eos in hanc sententiam potissimum cordis palpitatio, qua laborare hypochondriaci solent, non solum post assumptum cibum, aut motum corporis vehementiorem, sed post levissimos quoque animi adfectus, imo non raro absque aliqua manifesta dabili causa. Confirmat eos pulsus inaequalitas, qui modo celer est, modo tardus, modo plane deficit & intermittere videtur. Ridiculos hac in re saepe lusum de se praebent amicis, Medicis praesertim, dum anxie de pulsu suo solliciti, non desinunt eum explorare, manus digito tangere, & si quando depre-

hende-

henderint levem aliquam eiusdem imminutionem, continuo existimant, iam rumpi ac separari polypum, hinc mortem sibi instare subitanam ac inevitabilem. Accedit singularis quaedam instantis veluti lipothymiae sensatio, quam exprimere solent: *es sey ihnen so wunderbar*, quae persuadet ipsis, instare sibi fatum ultimum, & iam iam sanguinis circulum in toto corpore deficere. Imo nugantur saepiuscule sentire se posse sanguinis in toto corpore stagnationem quod exprimunt: *das Blut stocke ihnen in allen Aderu*. Cum in iis qui polypo laborant, nonnumquam dyspnoea observetur, ac similem in se animadvertant hypochondriaci spirandi difficultatem, facile patet, eos inde non parum confirmari in sua sententia.

§. VIII.

In abdomine tandem varios sibi morbos fingunt hypochondriaci. Praecipue *obstructionem & scirrhum lienis ac hepatis* in se ipsis animadvertere sibi videntur. Sentiant nempe modo in dextro, modo in sinistro latere tumorem & dolorem per sat longum saepe tempus fixum, sed tandem desinentem, brevi vero tempore redeuntem. Cum porro ob nexum hepatis cum diaphragmate, motus diaphragmatis sub respiratione necessarius, impediatur, haec ordinarie anxia est & difficilis in iis, qui maiori huius visceris obstructione laborant. Idem vero in se ipsis hypochondriaci animadvertunt, hinc mirum sane non est, quod magis vero fiat similis eorum phantasia. Negare equidem nolo haud raro huius vel illius visceris obstructionem in hypochondriacis occurrere, imo hepatis potissimum obstructionem ac lentio-

rem sanguinis per venam portarum motum, saepe materialem praebere causam huius mali: hoc tantum volo 1) non semper sed raro admodum adesse lienis obstructionem, quam tamen veteres pro causa totius morbi venditarunt, indeque hypochondriacos, spleneticos (*Miltzfüchtige*) vocarunt. 2) Neque semper adesse obstructionem hepatis, sed eius tantum infarctum, hunc vero ab obstructione accuratiores distingunt medici. In obstructis enim vasis plane interceptus est, ob occlusa vasa sanguinis motus, in infarctis vero, distenduntur ea quidem copioso sanguine, sed motus tamen adhuc aliquis adest, licet admodum tardus.

§. IX.

2) *Nephritidem* quoque *simplicem* sive *calculum* in renibus, imo non raro in vesica quoque in se ipsis apprehendere se existimant. Dolores nempe experiuntur saepe exquisitissimos in regione lumbari & pubis. Urinae fluxus modo impeditur modo copiosus adest, & sedimentum quoque in urina eorundem apprehenditur mucidum ac crassum, quae omnia pro certissimis praesentis calculi signis habent. Neque mirum hypochondriacos inde falli ac decipi, cum experti saepe Medici in diiudicandis his signis fallantur, & calculum adesse pronuncient, cuius tamen ne vestigium quidem post mortem apprehenditur. Memorabilem casum talis hypochondriaci narrat b. *Frider. HOFFMANNUS*, quem calculo vesicae laborare omnes existimaverant Medici, quotquot consulerat, & in quo tamen post mortem instituta sectio docuit, non calculum sed turgida & expansa

panſa atro ſpiſſoque ſanguine vaſa huius doloris fuiſſe cauſſam, quem fruſtra lithontripticis aliisque remediis debellaverant.

§. X.

Sed finem non invenirem, ſi omnes exponere vellem morbos, quos hypochondriacorum fingit libido. Neque ullum eſſe exiſtimo tam rarum tamque ſingularẽ morbum, quem in ſe ipſo deprehendere non valeat hypochondriacus, ſi vel ſando ſaltem de eo aliquid audiverit. Novi talem virum, qui cum expanſum a flatibus turgeret abdomen, incidit in eam ſtultitiam, ut exiſtimaret, ſe hydrope laborare. Hac idea miſere angitur, & maxime debilem ſe eſſe ratus, lecto ſe committit. Accedit amicus, cui cum narraret hydrope ſe laborare tibi vero inquit hunc a Deo immiſſum morbum exiſtimo, ob vitam male hucusque actam, ac ſcœlœra quæ commiſiſti. Quod aegre ferens hydropicus noſter, conviciis amicum petit, ac cum inſiſteret ille, iratus tandem, ac oblitus morbi ſui proſiliit e lecto, & hominem obtorto collo exturbavit foras, tum vero arreptis veſtimentis, exiit ad alium amicum, neque aliquid amplius de hydrope ſenſit. Alium novi probum alias virum ac theologiæ deditum. Huic offertur Collegium aliquod manuſcriptum celebriſ cuiuſdam Medici de lue Venerea. Emit hoc & curioſitatis cauſſa perlegit. Sed ecce tibi ſub lectione libelli, dum diagnoſis morbi exponitur omnia luis venereæ ſigna diagnoſtica, in ſe ipſo ſe deprehendiſſe autumat bonus homo. Angitur inde & miſere ſe habet, undenam fiat ut probus ipſe

ipse ac innocens tam faedo infaustoque morbo laboret, Ad Medicum tandem accedit eique rem totam exponit, qui agnoscens lepidam hominis stultitiam ei declarat, eum non solum iam non laborare hoc morbo, sed ob castam quam ageret vitam, numquam eodem laboraturum.

§. XI.

Ad alteram partem dissertationis nostrae accedimus, in qua causae nobis sunt demonstrandae ac rationes, quibus inducti credunt se hoc vel illo morbo laborare, vel aliquando tamen laboraturos. Duo sunt symptomata hypochondriacum malum semper comitantia, e quibus derivari veluti ex fonte quodam omnes hi morborum rivuli possunt. Alterum est *sensibilitas* totius generis nervosi aucta, alterum a priori forte dependens *phantasiae* ac *imaginationis* libido quaelibet sibi fingendi. Oritur ex hac ultima causa mortis metus insolitus. Cum enim omnes mortales propinqua morte terreantur, hypochondriaci vero semper sibi imaginentur iam instare mortem, semper hac larva terrentur, & quaecunque in corpore acciderint sive sint nimii motus, sive imminuti nimis, statim existiment, ultimam sibi instare horam. Generalis itaque causa cur hypochondriaci sibi semper periculosissimos morbos fingant haec est, ob corporis debilitatem ac phantasiae vitium tristem alunt ideam propinquae mortis. Si iam motus vel mutationes quasdam animadvertant in corpore, hae ob sensibilitatem longe ipsis videntur peiora quam revera sunt, hinc cum tristissima mortis imago alto eorum cerebro impressa haereat, statim existimant, iam id futurum, quod metuerant.

uerant. Hinc quae de morbis gravioribus, praesertim iis qui subitanam inferunt mortem, audiverunt vel legerunt statim sibi revocant in memoriam, comparant cum symptomatibus, quae ipsi experiuntur, tandemque ut sunt felices in deregendis iis rebus, quibus se ipsos misere torquent, concludunt ea ipsa symptomata se in se ipsis reperire, & sic eos vel eo morbo iam laborare, vel certissime tamen laboraturos esse. Hoc magis adhuc illustrabitur, si specialiter singulares morbos, quos supra exposuimus pertractemus.

§. XII.

r) Symptomata §. II. recensita, e quibus imminentem *Apoplexiam* praesagiunt hypochondriaci, dependent fere omnia a debilitate capitis ac ventriculi, coniuncta simul generis nervosi sensibilitate maiori. Ventriculi enim debilitas, efficit *δυσπεψίαν*, cibi inde non rite subiguntur, ac chymus in ventriculo paratus varias alit cruditates ventriculum onerantes. Oriuntur praeterea e crudis neque rite subactis cibis flatus, erumpente ex eorum interstitiis incluso aëre. Hos flatus debiles fibrae ventriculi propellere non valent, quin expandente se ob elasticitatem suam interno aëre, ipse ventriculus expanditur, sursum premitur diaphragma, intestina deorsum. Protrusum versus superiora diaphragma comprimit pulmones, sanguinis per eos transitum impedit ac reddit difficiliorem. Intestina vero magis deorsum pressa itidem impediunt compressis vasis sanguinem, quo minus per minima vascula libere transeat ac circuletur. Quid itaque mirum sanguinis motu in inferioribus impedito eum versus alias partes ruere, ubi liberior ipsi

C

transi-

transitus patet, ac superiora adeo petere. Fiunt hinc versus caput congestiones, hinc adsunt simul omnia quae ex congestione oriri solent ingrata symptomata, capitis temulentia, vertigo, aurium tinnitus oculi caligantes similia. Haec si homini accidant, qui hypochondriaco malo non detinetur, neque indulget phantasticis illusionibus, parum aestimantur, quippe qui animadvertit leviora haec esse symptomata ac dependere a flatibus ventriculorum expandentibus. Hypochondriacus vero haec sentiens longe peiora haec esse ac maiora opinatur. Hinc cum aurium tinnitus, oculorum caligo, capitis temulentia ac vertiginosi motus apoplecticos insultus praecedere soleant, hanc imminere malo suo fato concludit. Omnem praeterea pulmonum compressionem, vel impeditum alio modo transitum sanguinis per pulmones comitari solet sensus anxietatis, qui in hypochondriacis eo debet esse maior, quo maior est eorum sensibilitas, & quo maior est anxietas, quam ob metum imminens mortis experiuntur. Confirmat hoc metum, in quo versantur, ita ut non raro existiment hunc esse sensum imminens mortis (*die Todesangst*). Mirum proinde non est quod sudore disfluant, cum maiorem talem praecordiorum anxietatem comitari ordinarie soleat sudor saepe frigidus. Sanguinis versus caput congestio efficit quoque in musculosis capitis partibus eiusdem stagnationes, hinc vasorum expansiones ac dolores rheumaticos. Hos dum in occipite sentiunt, existimant eos in interiori cerebri structura esse, hinc signa esse instantis apoplexiae. Ipsa vero haec anxiosa sensatio quam experiuntur & terrificam ideam, maiores efficit motus in corpore, unde tandem

dem flatu ventriculorum ac intestina obsidentes dispelluntur. Quibus propulsis redit ad ordinarium volumen ventriculus, subsidet diaphragma, liberantur a compressione pulmones & intestina, liberior sic fit sanguinis circuitus, minuitur inde nimia eiusdem versus caput congestio, cessant symptomata, ac tandem mitigatis post aliquod tempus omnibus motibus ac turbis, redeunt ad se ipsos boni hypochondriaci, & vitae spem quam abiecerant, denuo recuperant.

§. XIII.

Facile hinc perspicitur quomodo tractandi sint a prudenti Medico tales hypochondriaci. Omnis enim salus & facillima restitutio posita est in facili flatuum dissolutione. Haec vero fieri non debet per essentias nimis spirituosas, multo minus per calidiora olea destillata, sed lenioribus carminativis, uti sunt Elixiria ex Absinthio, Carduo benedicto, floribus Chamomillae, Centaury minore cum aqua & salibus extracta, quibus addi possunt Essentiae gentianae rubrae, corticum aurantium, maceis, similes refracta tamen dosi, & spiritus quoque nitri dulcis tantillum. Quoad externa quietum esse debet corpus, inprimis si nimii adsint motus ob aestuantem & ab anxietate irregulari modo commotum sanguinem. Qui vero motus si non sint nimii lenis suadenda est deambulatio, & frictio externa abdominis inprimis circa costas spurias sinistras. Iuvat quoque hanc partem inungere vel linimento quodam carminativo, vel spiritu Lavendulae, vel emplastrum imponere e pane, Chamomilla, baccis Lauri similibus paratum, addito oleo quodam carminativo, ut anethi, cumini simili. Vera non secan-

da ne maior inde fiat debilitas, magisque sanguinis motus turbetur, nisi maxima adsit plethora, ac metus adeo ne in veram apoplexiam abeat imaginarius iste morbus, quod facillime alias accidere potest, praesertim si ad roborationem ventriculi spiritum vini in se ingurgent, & motum corporis instituunt vehementiorem, ligna scindendo & similia vel proprio instinctu vel Medici aut amicorum suasu perpetrando.

§. XIV.

2) Quod ad *maniam* attinet, quam metuunt hypochondriaci, quamque §. III. descripsimus, eius causam facile intelliget is, qui non ignorat revera aliquo modo turbatam esse hypochondriacorum phantasiam. Haec vero turbatio unice auctae sensibilitati generis nervosi est adscribenda. Accidit enim sanis quoque hominibus praesertim, iis qui cholericis, melancholicis aut ex utroque mixti temperamenti sunt, ut imagines ipsis offerantur variae, pro vario humorum in corpore motu ac animi varia activitate. Sensibilitas hypochondriacorum summa, efficit ut his imaginibus longe fortius afficiantur, quam alii. Iam cum in maniacis animadvertamus, eos variis agitari phantasiae illusionibus variisque imaginibus, concludunt hypochondriaci se quoque vel esse maniacos vel saltem futuros. Verum fat magna est hypochondriacos inter ac maniacos differentia. Hi enim ignorant, imagines sibi obversantes esse phantasiae ludibria, sed opinantur, eas revera extra se existere. Illi vero cognoscunt haec omnia quae imaginatio depravata eis offert, tantum incerebro suo existere, & misere inde angun-

anguntur. Demonstranda est hypochondriacis haec differentia, ne vano metu angantur.

§. XV.

3) *Phtisicos* imaginariae (§.IV.) symptomata, facile ex ipsa mali hypochondriaci sede & indole derivari ac demonstrari possunt. Quod enim 1) ad *aestus incrementum post cibum assumptum* attinet, quod nonnumquam animadvertere in se ipsis solent; & e quo phtisici se laborare opinantur, illud *primo differt* ab eo aestus incremento quod hectici sentiunt, in eo quod non semper post assumptum cibum sentiatur, sed modo adsit modo non. *Deinde* in eo quoque differt quod non in volis manuum tantum adsit. Solent quidem hypochondriaci si semel hecticae timor animos eorum obsedit continuo manuum volas explorare, & si calorem aliquem in iis senserint maiorem, iam aetum de se esse existimant, adesse hecticam febrem, adesse phtisim, sibi que mortem instare. Sed mirum sane non est, si volae manuum calidae sint, per totum corpus calore diffuso. Longe alia res esset si totum reliquum corpus lenior calor occupaverit solae volae maiori aestu urerentur. *Tandem* in hypochondriacis non eo modo corrupta est M. S. uti in hecticis, neque eo modo a subtili acri materia eorundem sanguis resolvitur ac in hecticis, sed ordinarie sola ventriculi debilitas omnem illam efficit imaginariam phtisim. Si enim debilitatus ventriculus cedit flatibus & ingestis cibis magis expanditur, comprimuntur vasa membranaceam eius substantiam perreptantia congeritur sanguis versus caput, aestum efficit. Imo vidi non-

nullos natura debiles, qui si sub prandii initio aliquot cochleara paullo calidioris iuris vorassent, continuo sudabant, indeque hecticam se in se ipsis animadvertere existimabant, cum tamen, sola debilitas facilem ipsis sudorem assumpto calidiori cibo inferret.

§. XVI.

2) *Febriles vero motus* quos in se sentiunt hypochondriaci, frigoris nempe sensum cum succedentibus phlogosis, quosque hecticæ febrî adscribunt, tantum abest ut ad hecticam possint referri, ut potius in omnibus iis animadvertantur, quibus debilis ventriculus est atque intestinorum canalis. Docemur nempe quotidiana fere experientia omnia illa quæ gravius afficiunt ventriculum & intestina, spasmos quoque producere periphericos & motus febriles. Tribuendum est hoc, uti vero quam maxime videtur simile, sensibilitati maxime qua instructus est ventriculus, qui si afficitur, continuo totum nervorum genus in consensum trahitur, & spasmî ad peripheriam usque corporis se extendunt.

3) *Spirandi vero difficultas, dolores in pectore* occurrentes, *tussis* modo sicca, modo cum tenacis pituitæ reiectiõne (§. IV.) non ut ipsi existimant, & aliis quoque persuadere conantur a pectoris aliqua labe oriuntur, sed a sola ventriculi distensione. Notum est ventriculo proxime incumbere diaphragma, & hoc esse ad respirationem maxime necessarium, dum descendente sub inspiratione diaphragmate pulmones ampliantur, eodemque sub expiratione ascendente denuo collabuntur. Iam si ventriculus nimium a flatibus vel cibis distentus sursum pel-

lar

fat diaphragma, cogitur inde in minus spatium pectoris
 cavitas, hinc liber pulmonibus non conceditur motus.
 His vero compressis denegatur sanguini e dextro cordis
 ventriculo exeunti, liber ad sinistram auriculam reditus.
 Expanduntur hoc modo vasa pulmonalia, dolent & im-
 pediunt liberam respirationem, immo irritando pulmo-
 nes efficiunt eorundem convulsionem sive tussim. Haec
 ordinarie sicca est, cum nulla adsit acris pituita, quae pul-
 mones oblideat. Si vero tractu temporis ob irritatio-
 nem augeatur adfluxus, pituita quoque sputo reicitur.
 4) Quartum tandem signum cui vel maxime inhaerere
 solent, *flavescentis* nempe *materiae instar minutorum gra-
 nulorum* reiectio, nihil minus indicat, quam quod ipsi
 existimant, pulmonum nempe vitium, sed in sanissimis
 quoque hominibus nonnumquam deprehenditur. Ad-
 sunt nempe in aspera arteria cryptae variae crassio-
 rem secernentes mucum quo lubricatur haec fistula ac im-
 peditur quo minus rigidae hae ac aridae fibrae laedan-
 tur & ad vocem reddendam minus fiant aprae. Hic hu-
 mor sub secretionem fluidus quidem est, sed ob continu-
 um aëris per tracheam transitum dissipata fluidiori par-
 te spissior evadit, donec fortiori screatu reiciatur. Re-
 fert vero granulorum figuram ideo quia respondet cavi-
 tati cryptarum quibus insedit. 5) Ultimum signum *cor-
 poris* nempe *maior debilitas ac emaciatio*, turbatae quoad
 maximam partem debetur sanguificationi ac chylica-
 tioni. Tono enim ventriculi ac intestinorum debilita-
 to, & secretionibus in abdomine turbatis, cibi non rite
 subiguntur, transeunt ad M. S. cruditates impeditur
 chyli in sanguinem mutatio. Remanent cruditates in
 primis

primis viis, aggravatur iisdem ventriculus, perit adpetitus, sic cibi assumtio, eorundem mutatio in chylum, & sanguinem & ultimo tandem ipsa nutritio non rite succedit. Mirum itaque non est absque hectica febre & phthisi corpus emaciari ac debilitari, indeque vanum induci metum.

§. XVII.

4) *Haemoptyses* quam in sua metuere solent idea ex eadem quam §. XV. & XVI. explicavimus causa, solet proficisci, spissus ordinarie esse solet sanguis hypochondriacorum hinc ad transitum per minima pulmonum vasa ineptior, praesertim si externa accesserit causa pulmones comprimens. Iam cum expansus a flatibus ventriculus comprimat pulmones, fieri inde facile potest, ut sub graviore tali compressione e maioribus vasis per laterales serofos tubulos, absque aliqua vasorum pulmonalium laceratione aut laesione, eiiciatur sanguis, hinc salivae admixtus, sputoque reiectus, speciem prae se ferat haemoptyses. Verum cum compressio a ventriculi expansione transitoria sit & diu non persistat, raro admodum haec cruenti sputi reiectio periculi aliquid alit. Accidere quoque nonnumquam solet, ut dum meticulosi hypochondriaci pulmones exploraturi, screatu fortiori pituitam reicere conantur, sub fortiori tali conamine ex asperae arteriae minimis vasculis disruptis sanguinis nonnihil cum sputo se remisceat, quod eodem modo periculosum non est, sensus vero titillatorius quem experiuntur oriri e feri acrimonia solet asperam arteriam irritantis, aut e levioribus spasmis has partes irritantes.

§. XVIII.

§. XVIII.

5) Ex eadem quoque causa oritur *catarrhi suffocativi* metus (§. VI.). Dum enim compressi pulmones aegrius sanguinem ex uno cordis ventriculo ad alterum transmittunt, & sanguine sic magis infarcti, vasa distendunt, anxius circa praecordia oritur sensus, quam catarrhi suffocativi nuncium putant. Et cum frequentes soleant esse sputatores mirum sane non est, quod imaginatione vividiore incitati existiment tandem ingentem mucii copiam pulmones obsidere sibi que tandem fore exitio. Augeri haec quoque saepius potest opinio, si ut in hypochondriacis solet vagi saepius spasmi ad pulmones usque se extendant, ibique constrictorium sensum & anxietates praecordiales augeant.

§. XIX.

6) Iam vero explicanda nobis ratio est, quomodo *polypi* praesentis idea (§. VII.) oriri apud hypochondriacos possit. Quod itaque 1) attinet *cordis* frequentes *palpitationes*, quos pro primario *polypi* praesentis signo venditare solent, haec differunt *primo* a palpitationibus cordis e *polypo* oriundis ratione circumstantiarum, *deinde* ratione causae. Circumstantiae variant, dum ordinarie cor palpat in hypochondriacis post assumptum cibum & motum. In iis vero qui *polypo* laborant continuo levis palpitatio adest ieiuno quoque ventriculo & corpore quieto, quae augeri solet si in hanc vel illam partem corpus inclinetur, pro modo quo *polypus* in hanc vel illam partem protensus est. Fatemur quidem hypochondriacis quoque non raro cor palpitare absque

D

mani-

manifesta quadam dabili causa. Sed si alius rem rime-
mur semper animadvertemus vel sanguinis circulum
antea in abdomine fuisse turbatum vel flatu expansum
ventriculum aut intestina potissimum duodenum expan-
dentes. Si e. g. hypochondriacus per aliquot horas se-
dendo abdomen compressit, cordis inde sentiet palpi-
tationes, licet quietus fuerit & e loco suo non secesserit.
Vel si bene coenatus lectum abierit, & supinus per ali-
quot horas iacuerit aut turbulentis vexatus fuerit info-
mniis, idem experietur. Causae vero palpitationis in
hypochondriacis sunt tum *maior fibrarum cordis sensibi-
litas, quam compressio ab expansione ventriculi, & sangui-
nis in abdomine stagnationes.* Cum enim totum genus
nervorum in hypochondriacis magis fiat sensibile, mirum
sane non est augeri quoque cordis sensibilitatem. Hac
vero aucta levior sanguinis in uno vel altero cordis ven-
triculo accumulatio, in sanis quoque hominibus inevita-
bilis, irritabit cor, & ad convulsionem concitabit levio-
rem, hoc est palpitationem eius efficiet. Si ventriculus
vero expansus transitum sanguinis per pulmones impe-
diat, sanguis e dextro cordis ventriculo ob auctam pul-
monum a compressionem resistentiam non omnis evacua-
bitur, hinc accumulabitur ergo & irritando fortius fibras
cordis, vehementiorem eius efficiet contractionem. Fa-
cile quoque perspicitur quomodo ab imminuto motu
sanguinis progressivo in abdominis visceribus palpitatio
cordis possit oriri. Accipiunt nempe haec viscera suum
sanguinem omnem ex aorta. Iam si notabilis fiat motus
sanguinis in abdomine imminutio, maior fiet sanguinem
in venis resistentia, hinc aorta non omnem sanguinem
quem

quem e corde acceperat tradere venis potest. Augebitur, itaque sanguinis in aorta copia hinc & resistentia. Aucta vera sanguinis in aorta resistentia, egressus sanguinis e corde impeditur hinc cordis sinister ventriculus nimio sanguine impletur ac irritatus palpitare incipit.

2) *Pulsus vero irregularis & nonnumquam intermittens*, non sufficit ad demonstrandum polypum, solemus enim in omnibus subiectis quibus genus nervosum debile est atque sensibile irregularem eiusmodi & saepe intermittentem animadvertere pulsum, in quibus tamen polypine quidem suspicio est. Differt itaque hocce hypochondriacorum phaenomenon ab ea pulsus intermissione, quam in polyposis animadvertimus eodem modo ratione circumstantiarum & caussae. In polyposis nempe continua & regularis animadvertitur pulsus intermissio, quae procedente tempore maiora capit incrementa. Sic e. g. semper post vicesimum ictum intermittit pulsus, procedente tempore post decimum, tandem post octavum quintum vel tertium. In hypochondriacis vero modo per aliquot hebdomades intermittit, modo non. Modo post decimum, modo post quintum, deinde post vicesimum ictum intermittit ita ut certis adscribi nequeat regulis. *Deinde* in hypochondriacis sensibilitas cordis ac arteriarum maior cum spissitudine sanguinis coniuncta, efficit ut modo maior fiat sanguinis resistentia modo minor, hinc cor modo magis modo minus ad contractionem concitetur, pulsusque inde fiat irregularis. Iam si cor debile aliquoties fortiter se contraxerit, magis adhuc inde debilitatur, efficitque ut motus dein per tempusculum intermittat. Sed neque tandem 3) *sensatio illa*

D 2

pecu.

peculiaris qua nonnumquam afficiuntur, quamque expriment: *es werde ihnen wunderlich*, demonstrat polyptum iam tendi & cor inde affici, cum haec vel a sola nervorum debilitate proficiscatur vel a fortiori cordis compressione ab expanso ventriculo. Talem enim cordis compressionem lipothymiam inducere posse docemur eorum experimento, qui in thoracis vulneribus cor immisso per vulnus digito compresserunt unde ordinarie animo linqui ceperunt aegri.

§. XX.

7) *Scirrbus hepatis* vel *lien*is verus, quo hypochondriaci se laborare saepe nugantur (§. VIII.), facile distinguitur ab imaginario hypochondriacorum malo. In eo enim quod *circumstantias* attinet continuus sentitur in dextro vel sinistro hypochondrio gravativus sensus. Spirandi quoque adest quaedam continua praesertim sub expiratione difficultas ob nexum hepatis cum diaphragmate per ligamenta. In hypochondriacis vero dolor est in hypochondriis inconstans, modo in hac modo in illa parte & erumpentibus flatibus mitigatur & cessat. Respirationis quoque difficultas non continua est, sed ordinarie tantum post assumptum cibum eos infestat. *Causa* vero doloris potissimum in flatibus incarceratis modo in duodeno modo in colo quaerenda est, unde distenduntur intestina & obtusorem talem efficiunt dolorem.

§. XXI.

8) Quod vero *Nephritide simplici* vel *calculosa* se laborare existiment hypochondriaci, mirum sane non est, cum

cum symptomata haemorrhoidaria multum cum nephritidis habeant similitudinis. Adfunt enim ob congestiones & stagnationes sanguinis in intestino recto, dolores in lumbis exquisiti, qui si accurate observentur in eo tamen differunt a nephriticis doloribus, quod non versus vesicam urinariam excurrant, sed versus anum. Mingenti vero difficultas & dolores in vesica urinaria vehementissimi, a spasms proveniunt ex triplici potissimum causa oriundis. Vel enim 1) a *feri* oriuntur *acrimonia*, membranofam vesicae substantiam irritante, quod eo facilius evenire potest, quo certius est, adesse non raro in hypochondriacis scorbuticam feri diathesin, ex sanguificationis vicio oriundam. Vel 2) a *sanguinis* spissi *stagnatione* in vasis vesicae (§. IX.), unde infarcta vasa extenduntur, dolent, spasmum efficiunt. Vel tandem 3) ab externa causa potissimum *refrigeratione*, ubi si liberius admittatur frigidis regioni pubis ob sensibilitatem in hypochondriacis maiorem spasmi oriuntur graviore, non doloribus modo atrocissimis stipati, sed urinae quoque fluxum impediētes.

§. XXII.

Demonstravimus hoc modo non modo singulares morbos, quibus se detineri lepide existimant hypochondriaci, sed differentiam quoque horum morborum indicavimus ab imaginariis hypochondriacorum malis. Nihil nobis superest, quam ut practicas tantum regulas coronidis loco addamus, quarum usus latissime patet. 1) Licet saepissime enarratos hosce morbos sibi fingant hypochondriaci, tamen non semper ficti sunt, cum nonnum-

D 3

quam

quam contingat, ut complicetur cum hypochondriaco malo talis morbus, vel ex eodem tanquam impura aliqua scaturigine profluat. Sic haemoptysis, apoplexia, similesque morbi oriri tandem possunt ex spisso sanguine obvigentes spasmos versus caput vel pulmones congesto. Non negligendae itaque sunt utilissimae regulae semioticae, quarum ope diagnosis imminens vel praesentis morbi formari possit. 2) Eo potissimum annitendum est medico ut quantum fieri potest hypochondriacis demonstraret vanum esse imo ridiculum eorum metum. Sed fatendum sane est admodum difficile hoc esse negotium duplici potissimum ex causa. *Primo* enim in ea ut plurimum opinione versantur hypochondriaci, se longe rectius corporis sui statum cognoscere quam Medicum, de quo conqueruntur, eum leviolem facere ac minus periculosum morbum, quam revera sit. *Deinde* mortis metus quo anguntur, efficit, ut omnes levissimas quoque corporis sui mutationes curiose observent, indeque se aegrotare existiment. Utrumque tolli potest, si Medicus ipsis non modo scientiam suam atque in medica arte peritiam probaverit, sed & ipsis demonstratum dederit, se totam huius mali naturam penitus intelligere. Ultimum obtineri potest, si Medicus vel se ipsum expertum esse talia demonstraverit, vel in aliis se talia observasse. Imo si ad propriam experientiam provocaverit, quoties scilicet existimaverint, se Apoplecticos, haemoptycos, phthisicos & hefticos futuros, cum nunquam eventus praesagio responderit. Hoc modo intelligent vano se vexari metu, maioriq; fiducia Medici accipient dicta. Maximum autem momentum & totius rei cardo fere in

eo versatur, ut animus eorum exhilaretur, tristis mor-
tis imago, quantum fieri potest e depravata phantasia
expellatur, ipsique aliis rebus distrahantur, ne nimia
solicitudine & attentione mutationum in corpore
leviorum sibi noceant.

F I N I S.



PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

G. L. HECK

M. D.

Lauriger	usque manes	jam necsit	gloria	palmas
usque manes	Magnus	titulis	respondet	Apollo
jam necsit	titulis	laudes,	fors obvia,	factis
gloria	respondet,	fors obvia	dat tibi	Lauros.
palmas	Apollo	factis	lauros	que parabit

VIVE DIV sospes frVItVrVs honore perenni

VtqVe optanDo rogas, prospera CVncta VIDE.

Quid

Quid faciam? festiva dies quo tempora lauro
Cingeris, & factis praemia digna refers
Me monet ut veniam TIBI candida fundere vota
Fraternisque tonis concelebrare diem:
Et TIBI quid dicam tandem, quæis plausibus adsim,
Nescio, nam perspecta intima mentis habes
Inviolata fides quæ corda fidelia iunxit
Sat TIBI detexit quot TIBI fausta precer.
Nil addam igitur, si non, ut Numina saluum
TE servent, longo ut tempore honore nices.

*Ita Clarissimo Domino Candidato
fratri suo intimo apprecatur*

C. E. GROSS,
S. S. TH. CANDID.



Halle, Med. Ztg. 1755-56


ULB Halle 3
002 830 698



Sh

Retrad







DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
**MORBIS IMAGINARIIS
HYPOCHONDRIACORVM**

Quam,
AVSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratijsae Facultatis Medicae,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAI. REG. BORVSS. AVLICO ET CONSIST. MAGDEBVRG.
CONSILIARIO SENIORE, ACADEM. ET FACVLT. MEDIC. SENIORE,
VT ET PHILOS. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
ALVMNORVM REG. EPHORO SENIORE, ETC.
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni pietatis cultu prosequendo,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLV. D. IVNII
HORIS LOCOQVE CONSUVETIS

PVBLICAE AC PLACIDAE ERVDITORVM VENTILATIONI SVBICIET
AUCTOR
CHRISTIANVS GOTTLOB GROSS,
BAVMERSCHRODA-TVRINGVVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

